ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Constantinus Hugenius
D. de Wilhem Affini optimo.
S.

Capiunt modicè mihi placito fasciculi partes
mei, ex quo dignatus es rescribere, tibi non displicuisse.
Stomachum tibi, ad cetera omnia nauseantium,
commovisse: sedulò si dicis, ecce (et horresco referens)
quo vis [illegible] explicas, totos XIX. Poematum
Belgicorum Libros, qui carceres, ut vides,
pulsant; adeò ut editionem porrò nihil
moretur, quàm effigies, si dijs placet, mea,
quam, ab Archimede meo delineatam, ~~et~~
Sculptor Amstelodamensis jamnunc absoluisset,
absq cruciatibus fuisset, quos vir miserandus
patitur tuis quàm simillimos. Ab eorum —
sensu si te tua πολυποικιλία rerum et
Visitorum, stili et argumenti non nunquam
avocare valeat, operae pretium erit omnem
hunc apparatum ægro in antidotum commu-
nicasse, qui alioqui non meus est sed tuus.
Primos 4. Libros videbis ex Otij ~~[illegible]~~ olim
mei collectos. quae in ~~[illegible]~~ quinto sacra
~~[illegible]~~ tractantur, maximè in argumento sacrae
Synaxeos, quibus temporibus soleo me
Ejusmodi meditatiunculis exercere, fortasse
et Lectorem benevolum obtinebunt. Ab Eisce
sedij si ad amatoria divertor liber, sequitur
vis immensa Epigrammatum; quo in genere

B.P.L. 293 A.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 293: A
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5557

(audio profectum apud Affinem amantissimum)
credo me quodammodo Luscum inter caecos nostros
regnare, et propius aliquanto videri hic assecutum
quam isti sacerus, qui non lemma quidem
novum Epigrammati inscribere; et me in
insaniam adigunt, cum ejusmodi sua ineptiolis
proferunt. Maz en Maz die is quade vroubbe
Hadde, et gravi materiae hoc exordium dant.
Dese waert ofschoon Maz, die had is Quade
Wroubb. Et hoc tamen in deliciis sunt populo
nostro. Ego an quid ejusmodi ineptiarum
sim molitus, tui judicii esto, sed clementer.
Satis enim pernovi quam aliunde sim curta
supellectile. Addidi chartas adhuc typo
mandandas, ut seriem operis videas et
initia. Hasce solas, quo sunt ordine
dispositae, quam primum remittas petito
et puris te latent; ut et ipsum ~~[illegible]~~ Libri Exemplar
quod propediem recaptaturus sum —
voluminis plenius et compactius.
Vale vir spectatissime et me ama.
17. Nov. CIↃIↃCLVII. Manum, ut vides,
parum sibi constantem. Sentio vires
paulatim confirmari; si somnus responderit
ut alvus coepit, grandiori gressu ad —
sanitatem ibimus.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 293: A
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5557

Constant Huygens.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 293: A
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5557